quod ex immoderato gaudio vel moerore nonnunquam homo moriatur, eo quod ex nimio gaudio cor solvatur et ex nimio moerore constringatur. Utrumque factum intelleximus. Intelligens mulieris periculum beata Elyzabeth vestes se illi dedisse doluit. Que adhuc in majori gloria sua posita mendicitatem plurimum affectabat, de paupertate frequenter cum illis tractans et conferens. Noverat enim salvatorem dixisse: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum. Et die quadam pedisequis suis presentibus vili pallio in palacio se vestiens et vilissimo panno caput operiens cum multa vocis cordis alacritate dicebat: Sic incedam, quando mendicabo et pro Christo miserias sustinebo. In cena vero domini sollempne mandatum fecit, pauperum pedes lavans et singulis argenteos largiens. In quadam cena domini plurimos leprosos hospicio collegit, pedes eorum et manus lavans et ipsa loca magis ulcerosa et horrenda deosculabatur. Deinde pedibus eorum se prosolvens munuscula illis tribuit. Ubicunque enim leprosos reperit, juxta eos

vl' merōe. n̄ nūq̄ ꝗ adhuc qm̄ vocis cordis hospicio + vor ipsa ist in dem Ms. durchgestrichen